



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

cessionesque tanquam distincta quædam à relationibus computantur. Ratio quam hoc loco reddit Torres quare non plures, quām quinque notiones constituantur, videlicet quia non sunt plura abstracta, quām illa quinque, nullius sanè est momēti. Ea namque omnia, qua argumentis propositis notiones esse contenduntur, proculdubio abstracta sunt, quibus Patres sapienter videntur.

D I S P V T A T I O II.

Num hæc enunciatio vera sit, paternitas est spiratio.

Opinio D.  
Thomas.

**D**IUVS Thomas hoc loco in response ad tertium negat eam esse veram. Has tamen concedit esse veras, paternitas est essentia, intellectus est voluntas. Cui placuerit, quæ Caïtanus, Torres, & alij hoc loco docent, ut defendant priorem illam propositionem esse falsam, poterit eam sententiam complecti.

Ceterum cùm ex Diu Thomæ sententia ac veritate, ipsa paternitas & spiratio actua, nec re, nec ratione formaliter distinguantur inter se (etiam secundum esse rationis formalis relationis) sed tantum virtute, non video quare hæc in sensu formaliter sit concedenda, paternitas est spiratio actua: sicut hæc duæ in eodem sensu conceduntur, paternitas est essentia, intellectus est voluntas. Neque satisfacit ratio, quam hoc loco reddit Caïtanus, videlicet quia paternitas & spiratio actua differunt differentiis relationis, cùm una sit ad Filium, & alia ad Spiritum sanctum, & multiplicantur secundum eis relationis (sunt namque duæ relationes) id est hanc esse falso, paternitas est spiratio: cùm tamen illæ duæ aliae propositiones sint verae. Hæc, inquam, ratio non satisfacit: neque enim paternitas & spiratio simpliciter differunt formaliter differentiis relationis, sed virtute dumtaxat: neque sunt duæ relationes formaliter inter se distinctæ secundum eis relationis realis, sed virtute dumtaxat, ut articulo præcedente ostendimus, alioquin in Patre esset distin<sup>tio</sup> ex natura rei inter ea, quæ in eo sunt formaliter, quod nulla ratione est concedendum: cùm ergo intellectus & voluntas sint etiam duæ rationes formales reales entis absoluti virtute inter se distinctæ, sit planè, vt non sit maior ratio, quare hæc sit falsa, Paternitas est spiratio, quām hæc, intellectus est voluntas.

Quod si in hunc modum argumenteris. Paternitas est respectus ad Filium, & non ad Spiritum sanctum: spiratio vero est respectus ad Spiritum sanctum, & non ad Filium; ergo paternitas non est spiratio: neganda est consequentia: non secus arque hæc alia negatur, intellectus est id, quo Deus intelligit, & non quo vult: voluntas vero est id quo vult, & non quo intelligit: ergo intellectus non est voluntas in Deo. Sicut enim in hac secunda consequentia, quia intellectui conuenit esse principium intelligendi, ut ratione ac virtute distinguitur à voluntate, & voluntati conuenit esse principium volendi, ut similiter distinguitur ab intellectu, conceditur antecedens, & negatur consequentia, quia infertur absolute non identitas intellectus & voluntas inter se, propter quod in ea committatur fallacia accidentis: sic quoque cum paternitati conueniat, ut sit respectus ad Filium, ut virtute distinguitur ab spiratione actua, & spirationi actua conueniat, ut sit respectus ad Spiritum sanctum, ut virtute distinguitur

à paternitate, neganda est illa prior consequentia, in qua pati ratione, committitur fallacia accidentis.

Illud tamen hoc loco est animaduertendum, si-  
cūt hæc conceditur, intellectus est voluntas, & tamen  
hæc negatur: attributum intellectus est attributum vo-  
luntatis, quia attributum de formalis significat ens  
rationis, quod est aliud in intellectu, & aliud in  
voluntate: ita hanc esse concedendam, paternitas est  
spiratio, & hanc esse negandam, notio paternitatis est  
notio spirationis: quia simili modo vocabulum, no-  
tio, de formalis significat ens rationis, quod est dis-  
tingutum in paternitate ab eo, quod fundatur in  
spirazione actua, & quia in significatis materialibus  
sufficiens distinctione pro ratione significatorum for-  
malium, ut nomine notio, dicitur pluraliter de paterni-  
tate & spiratione actua, ut etiam de attributis di-  
uinis quæst. 2. art. 2. disputatione 3. dictum est. At-  
que hoc est, quod probat exemplum Diu Thomæ,  
hoc loco in response ad tertium, ut Scotus quodlib.  
q. artic. 2. egregie notauit, & hoc in re nobiscum  
consentit, tametsi dissentiant, quatenus credit, inter  
paternitatem & spirationem actinam esse distinc-  
tionem formalem, & ob id censet hanc, paternitas  
est spiratio, in sensu formaliter esse negandam. Quod  
si Diuus Thomas hoc loco solùm intendit hanc  
esse falsam, notio paternitatis est notio spirationis  
actua, hanc vero esse veram, paternitas est spiratio  
actua, ab ea, quam sequimur, sententia non  
discrepet.

Obiectio.  
Salutio.  
Notio paternitatis non est notio spirationis actua, licet paternitas sit spiratio.

A R T I C V L V S IV.

Vrûm liceat contrariæ opinari de notionibus.

**N**O TANDVM est, sine periculo hæresis asseverari posse, quatuor tantum esse notiones, aut esse sex, vel plures. Neque propter eum, qui id assenseret, excitat Diuus Thomas hanc quæstionem, sed propter sententiam Præpositi, possetque eam etiam excitare propter sententiam Durandi, & alias similes. Responderique, cùm notiones non sint de numero eorum, quæ principali-  
ter credenda proponuntur, circa quæ non soler-  
esse ignorantia probabilis, solerque in assertione  
contrariæ præsumi pertinacia, ad rationem hæresis  
necessaria, circa notiones esse posse opiniones fal-  
fas absque periculo hæresis, dum scilicet aliqui eis  
opinionibus adhaerent, non attendentes ex eis ali-  
quid seque fidei contrarium. Vnde, ait, non esse eos  
censendos hæreticos, qui circa notiones contrariæ  
aliquid opinati sunt, esto ex opinione alicuius eorum  
colligetur aliquid fidei contrarium. Reli-  
qua, quæ hoc loco dici poterant, commodius di-  
spurabuntur 2.2. q. 11. dum de hæresi erit sermo.

Q VÆSTIO XXXIII.

De persona patris.

A R T I C V L V S I.

Vrûm patri competit esse principium.

D I S P V T A T I O I.

**D**ixerit D. Thomas deinceps de personis in particulari, ac primò de persona Patris. I res diuinas personas, quatenus Deus sunt, vni-  
cum esse principium rerum creatarum, est mani-  
festum, docetque Augustinus q. de Trinitate c. 13. &

O o 4 14. Ne

Pater est  
principium  
filii & spiri-  
tus sancti.

Principium  
quid.

Quæstio de  
principij  
analogia.

Principium  
dei princi-  
palis de pa-  
tre & filio ut  
sunt princi-  
pium ad intra.

14 Neque D. Thomas in hoc art. querit an Patri conueniat ut sit hoc modo principium ad extra, sed utrum conueniat ei ut si principium ad intra.

Conclusio affirmat, si que de fide. Pater ex Cōsilio Lugdunensi cap. Fideli, de summa Trinitate & fide Catholica lib. 6. Vbi definitur, Patrem & Filium esse unicum principium Spiritus sancti. Idem definitur in Cōsilio Florentino in literis sanctæ vniuersitatis in decreto de processione Spiritus sancti. Probat etiam potest, quoniam, ut ad proœmium Physicorum ex Aristotele 5. Metaph. c. i. explicauimus: Principium est id unde aliquid est, aut cognoscitur: cū ergo Filius sit ex Patre æternō, iuxta illud symboli, Ex Patre natum ante omnia secula, & Spiritus sanctus sit à Patre & Filio, iuxta illud Ioan. 15. Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit. & illud symboli: Qui ex Patre Filioque procedit, consequens est. Pater principium sit Filii & Spiritus sancti. Idem docet Augustinus 5. de Trinitate cap. 14.

Queret aliquis, virum principium dictum de Patre æternō comparatione Filii, & de Patre & Filio, in ratione spiratoris comparatione Spiritus sancti, & de Deo, quatenus Deus est, comparatione creaturatum, quarum est principium efficientis, sit vniuersum, an analogum. D. Thomas, Scotus, Durādus, Capreolus & pleriq; alij in 1. d. 39. conueniunt, dicentes esse analogum. Ratio est, quoniam relatio principij Dei ad creaturas, est rationis, relationes vero principij, qua sunt in Patre comparatione Filii, & in Patre & Filio comparatione Spiritus sancti, cū non sint aliud, quam paternitas & spiritus ratio activa, sunt reales: nihil autem vniuersum potest esse communè enti reali & rationis.

Durandus affirmat, principium principalius dici de Deo coparatione creaturatum, quam de Patre comparatione Filii, & de Patre & Filio comparatione Spiritus sancti. Contrarium existimo esse verum, idemque aperte lentire videtur D. Thomas art. sequenti ad quartum. Possumusque argumentari aduersus Durandum, quoniam si aliqua esset ratio: quare principalius diceretur de D. o comparatione creaturatum, maximè esset, quia principium magis propriè diceretur comparatione rei essentialiter distinctæ, id tamen est falsum: quandoquidem Pater, ut est principium Filii, sive creati sive increati, principalius dicitur de Patre æterno, a quo, ut haberur ad Ephel. 3. omnis paternitas in celo, & in terra nominata, quam de parte creatoris, tamen pater creatus producat filium a se diffinienter. Pater vero æternus minister. I. gito Diuum Thomam in responsione ad quartum citata.

### DISPVTATIO II.

Virum hac sit vera, Pater est principium  
totius Deitatis.

Pars affir-  
mansuade-  
tur.

Augustini 4. de Trinitate cap. 20. hoc loco in argomento, sed contra relata à Diuo Thoma, vbi eam expresse affirmat. Gregorius etiam Nazianzenus in quadam sermone de statu Episcopali ait, Patrem esse causam, id est, principium diuinitatis. Secundo, quia Dionysius 2. de diuinis nominibus ante eos dixit, solum Patrem fontem esse celestis diuinitatis. Et paulo inferius subiungit: A diuinis Scripturis accipimus, Patrem esse, ut ita dicam fontaneam diuinitatem: Iesum autem, & Spiritum sanctum secunda-

A diuinitatis si ita fas est loqui, gemmas, seu germina à Deo prodecuria, & quasi flores, ac lumina. Qua autem ratione hac sit, nec dici, nec cogitari potest. Hec Dionylius. Et de Cœlesti Hierarchia c. i. Pater, inquit, diuinitatis fons atque principium. Tertio, quia in Cōsilio Tolentano 6. c. i. habetur: Credimus Patrem in genitum, fontemque & originem totius diuinitatis. Idem habetur in Concilio Tol. i. in processione fidei.

Parte vero, quæ negat, suaderi potest. Primo, quoniam si Pater esset principium Deitatis, Deitas procederet à Patre: quod tamen damnatum est in Concilio Lateranen. cap. Damnum, de summa Trinitate & fide Catholica. Secundo, quia si Pater esset principium totius Deitatis, esset principium sui: quandoquidem Pater est aliquid Deitatis, id quod non nulla ratione esse potest.

Ad hoc dabim dicendum est, propositionem illam non esse admodum propriam, ut argumenta, que in partem negantem sunt proposita, latius perfruent: prolatam tamen esse ab Augustino & ab aliis Pâtribus, & Conciliis in hanc sententiam. Est principium totius Deitatis, id est, Filii, & Spiritus sancti, in quibus est tota Deitas, aut quibus totam comunicat Deitatem: vel est principium ceterarum personarum, quæ secum sunt in Deitate. Atque hunc sensum facit exprimit Concilium Tolentanum undecimum, dicens: Et Patrem quidem in genitum profitemur: ipse enim a nullo originem duci, ex quo & Filiu nativitatem, & Spiritus sanctus professionem accipit: fons ergo, & origo totius diuinitatis ipse est. Hec Concilium Tolentanum undecimum. Luxa quam expositionem cessant argumenta, que in partem negantem proposita sunt.

### DISPVTATIO III.

D Virum concedendum sit, Patrem esse causam  
Filii & Spiritus sancti.

**Q**uestio hæc excitatur circa responcionem ad primum D. Thoma. Pars, quæ affirmat, suadet potest. Primo, quoniam Damascenus lib. 1. fidei orthodoxæ c. 9. & 11. Gregorius Nazianzenus sermone disp. precedente citato, aliisque Doctores Græci, indifferenter appellant Patrem causam & principium Filii acque Spiritus sancti, quod non reprobatur Concilium Florentinum in literis sanctæ vniuersitatis in decreto de processione Spiritus sancti, vbi hæc habetur: Declaratrices quod id, quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem causam: secundum Latinos vero, principium Spiritus sancti sicut & Patrem.

Secundo, quoniam Augustinus 7. de Trinitate c. i. de Patre loquens, ait, Id quod est causa illi ut sit, est causa ut sapiens sit. Et lib. 8. 3. quæstionum q. 15. Quod omnium rerum, inquit, causa est, eriam sua sapientia causa est. Et q. 16. addit: Sapientia sapientie sua causa est semper. Hieronymus quoque super illud ad Ephesios 3. Ex quo omnis paternitas, sic loquitur de Deo, Sui origo est, sive causa substantia.

Pars nihilominus quæ negat, probari potest. Primo, quoniam Pater in nullo genere causa est, causa Filii, aut Pater & Filius Spiritus sancti: ergo neque concedendum est Patrem esse causam Filii, neque Patrem, & Filium esse causam Spiritus sancti. Consequens est manifesta, antecedens vero probatur, quia in primis non sunt causa in genere.

nere causæ materialis , aut formalis , ut est notissimum : neque finalis , eò quod finis præstantior sit eo , quod est ad finem : inter personas autem diuinæ una non sit præstantior altera : neque etiam in genere causæ efficientis , quia tunc Filius est effectus Patris , ac proinde factus , idemque conueniret Spiritui sancto comparatione Patris & Filii , quod tamen est hæreticum . De Filio namque in symbolo Missæ dicitur , Deum verum de Deo vero , genium , non factum . Et Spiritus sanctus in Symbolo Athanasi dicitur , A Patre & Filio , non factus , nec creatus . Secundo , causa & effectus relatiuè dicuntur : cum ergo Filius & Spiritus sanctus non fortiantur rationem effectus , ut proximè ostensum est , sit , ut in nullo genere causa Pater sit causa Filii , aut Pater & Filius Spiritus sancti . Addit , causam sonare quid essentialiter distinctionem ab effectu : definitur namque , esse id , ex quo aliud sequitur . Præterea est quid prius natura eo , cuius est causa , ex Aristotele in postpradicamentis : cùm ergo personæ diuinæ , neque distinctionæ sint inter se essentialiter , neque una sit prior alia , ut ex symbolo Athanasi constat , sit , ut una non sit dicenda causa alterius .

*Quæst. viii. vna explicatio. Nam per hoc causam alterius , cur non sit admissum?*

Propter has rationes merito doctores Latini noluerunt concedere , vnam personam esse causam alterius , neque inter Latinos id vñquam est concedendum . Appellant tamen vnam personam principium alterius : eò quod principium latius patet quam causa , ut ex Aristotele 5. Metaph. cap. i. constat , dicitur ordinem eius , à quo est aliquid , siue causalitas adit , siue non , quod sicut conuenit vni personæ comparatione alterius . Modus vero loquendi Græcorum toleratur à Latinis , quod Graci latius quam Latini , vocabulum *aītē* , id est , causa , usurpent , quando Patrem causam Filii aut Spiritus sancti appellant , nec aliud significare intendant , quam quod Latini , dum Patrem appellant principium Filii , aut Spiritus sancti .

*Solutio argumenti patrum affirmativi.*

Ex his pater , quid dicendum sit ad testimonia , vñsumque Græcorum . Ad testimonia vero ex Augustino desumpta dici debet , Augustinum loqui de causa , non quæ vere causa sit , sed quæ nostro intelligendi more concipitur ut causa . Concipiuntur namque Deitatem tamquam formam , qua Deus est Deus : hancque eandem propter identitatem cum sapientia appellat Augustinus causam , ut sit sapiens . Apprehendimus etiam Deum tamquam causam efficientem , à qua per essentiam tamquam per principium remorum , & per intellectum tamquam per principium proximum , emanat sua sapientia . Testimonium Hieronymi exponendum est negatiuè , quasi dixerit , non habet aliquid , quod ipsius sit origo , aut quod causa sit sua substantia . Et quidem ex antecedentibus , & sequentibus clare patet eum esse sensum verborum Hieronymi . Eodemque modo exponi forte possunt aliqua ex testimonio Augustini .

## DISPUTATIO IV.

*Virum hoc sint concedenda , Filius est principiatus , Pater est autor Filii , Filius est autor Spiritus sancti .*

**R**esponsio D. Thomæ ad secundum huius quæstionis excitandæ occasionem dedit . Et quod ad primam propositionem attinet D. Thomas affirmit eam ab aliquibus Doctribus Græcis concedi . Non tamen à Doctribus Latinis , ne detur erroris occasio . Possimus tamen in gratiam Græ-

A corum argumentari . Quidam principium est relativum quoddam : ergo habet correlativum : non aliud quām principiatum : ergo si Pater est principiū Filii , Filius est principiatus cōparatione Patris .

Dices tamen , si nomen principiatum , solum significet ens à principio , propositionem esse veram : atque in illo sensu cōcedi à Græcis . Quia tamē principiatum videtur sonare quid effectum , habensque principium durationis , ne detur erroris occasio , non concedi à Latinis , meritoque inter absonas propositiones , quæ absolutè non sunt concedenda , numerari ; licet adhibita distinctione concedi possint . Hæc , Filius habet principium , propter eamdem rationem negatur à Magistro in prima dist.

B 29. neque est , nisi cum distinctione concedenda , videlicet quod non habet principium durationis , habet tamen principium à quo procedit .

Quod attinet ad secundam & tertiam propositionem , D. Thomas in 1. dist. 29. q. 1. art. 1. concedit hanc , Pater est autor Filii , cum Hilario 4. de Trinit. Negat vero hanc , Filius est autor Spiritus sancti , quia inquit , de ratione autoris est , ut sit principium non de principio . Hilarius tamen 2. de Trinitate , secundam eriam concedit . Ait namque , à Patre & Filio auctoriis confitendus est Spiritus sanctus . Ac sanè videtur omnino concedenda . Etenim pater Platonis dicitur eius autor , cùm tamen ipse fuerit ex alio principio . Vnde Augustinus libro 3. contra Maximum cap. 14. Si propterā inquit , Deum Patrem Deo Filio dicas autorem , quia ille genuit , genitus est iste , quia iste de illo est , non ille de isto , fateor & concedo . Si autem per nomen auctoris , minorem vis facere Filium , Patremque maiorem , nec eiusdem substantia Filium , cuius est Pater , detestabor , & respuam .

*Principiatū quo sensuverē dicatur de Filio & Spiritu sancto . Etā tamē pro positionē esse absonam .*

*Autor dicit potest nō solū Pater Filii , sed etiā Filius Spiritus sancti .*

## ARTICVLVS II.

*Virum hoc nomen , Pater , sit nomen propriè diuine persone .*

**S**ed N quæstione proposita nomen , Pater , sensus quæsumus , sumitur , non analogicè ac in commune , ut comprehendit Patrem creatum & in creatum : sed pro proprio significato , quo principium Verbi diuini dicitur Pater . Dicō vero illa , proprie , sumitur , tum ut distinguitur contra appropriate , que pacto nomen , commune aliqui tribus personis , aliqua de causa vni earum appropriatur , ut sapientia Filio , amor Spiritui sancto : tum etiam ut distinguitur contra translatitudinem & contra nomen commune .

Conclusio affirmat , neque ullam continet difficultatem . Nomen enim , Pater , in diuinis significat personam Patris , etiam quoad id , quo distinguatur à reliquis personis : quare est proprium nomen primæ personæ adorandissimæ Trinitatis .

**F**In responsive ad quartum notat cum D. Thomas Caetanus , cùm ad generationem duo necessaria sint , videlicet distinctione geniti à generante : alioquin non esset productum , nec proinde genitum : & similitudo in natura inter utrumque , eò quod genitans intendat reddere sibi similem rem , quam producit : quo sicut (salua distinctione inter generantem & genitum) maior fuerit identitas , ac similitudo in natura inter rem generantem & genitam , eò perfectior erit generatio . Atque inde est , ut generatio vñno cō præstantior sit , quam æquuoca . Quare cùm in generatione Filii in diuinis , cum distinctione personarum , cernatur identitas numerica

*Conclusio affirmans .*

*Generatio vñno sit præstantior equiuocosa .*